



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Notitia Congregationum Et Tribunalium Curiae Romanæ

Plettenberg, Hunold

Hildesii, 1693

Cap. II. De Conclavi & Electione Summi Pontificis.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-63032](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-63032)

venrur à secularibus contra Regulares
*Cong. Episc. 1616. 23. Jan. apud Nicolaum Can
 lib. 1. Tit. 30. de off. Leg.*

VIII. Possunt Archi-Episcoporum
 Episcoporum & exemptorum electione
 confirmare, non verò alii Legati. *c. S.
 Abbatem 36. Hujusmodi de Elect. in 6. De
 mum præminentiam habent in loco Le
 gationis suæ supra Prælatos omnes,
 etiam Cardinales, quam cæteri Nun
 cii non habent. De Luca, Relat. Cur, Rom
 Disc. 4. n. 11.*

C A P U T II.

De Concalvi & Electione Summi Pontificis.

INter omnes Conventus & Con
 gregationes quas S. R. E. Cardi
 nales celebrant, præcipua &
 celeberrima est, in qua Purpurati hi Pa
 tres Sede Apostolica vacante eligunt Ro
 manum Pontificem, & Ecclesiæ univer
 salis Pastorem. Hujus ergo Congrega
 tionis, seu Conventus descriptio reliquis
 meritò præmittenda est. Dicitur ergo
 primo de variis modis eligendi Papat
 alias in Ecclesia usitatis; Tum de for
 ma, quæ nunc in Electione observatur.
 Deinde describetur Conclave seu locu
 electio

electionis, quidque fiat antequam eum ingrediantur Cardinales; Demum quid in ipso Conclavi, & quid electo Pontifice fieri soleat.

§. I.

De forma eligendi Papam
sæpè variata.

1. *Visibilis Ecclesia semper regitur à visibili capite.*
2. *Cujus electio variis modis facta est.*
3. *Primo ut Pontifex nominarit in vita Successorem.*
4. *Secundo per 24. Presbyteros vel Diaconos.*
5. *Tertio & simul per Clericos. Quarto ita ut accederet & populus sine suffragiis.*
7. *Sexto ex auctoritate Regum vel Imperatorum.*
8. 9. 10. *Quam auctoritatem confirmatam esse à Pontificibus nonnulli volunt.*
11. *Sed hæc non fuit auctoritas pro arbitrio creandi, sed tantum approbandi rite electum.*
12. 13. 14. 15. *Et exempla in contrarium adducta nullius sunt roboris.*
16. *Septimò elegerunt soli Cardinales accedente consensu Cleri & Populi.*
17. *Octavo excluso horum consensu soli Cardinales totum negotium confecerunt, qui modus hodie dum observatur.*

1.

CUM visibilis DEI Ecclesia semper permanens sit, contra quam nec portae inferi prevalere poterunt. *Matt. 16.* necesse quoque fuit, ut à visibili semper regeretur capite. *c. Ita Dominus dist. 19.* Quare ita ineffabili sua sapientia disposuit Dominus, ut è vivis decedenti Petro alius sibi Vicarius & Petri Successor, & post obitum hujus alius iterum & alius usque ad consummationem seculi surrogaretur *c. Factus 7. q. 1.* nam, ut inquit Hieronymus *super Matt. c. 28.* *Qui usque ad Consummationem seculi cum Discipulis se futurum esse promittit, & illos ostendit semper esse victuros (nimirum in Successoribus) & se nunquam à credentibus recessurum.*

2. Modus vero, quo successio Vicariorum Christi & Summorum Pontificum facta est, varius & multiplex fuit, ita ut sint, qui tradant intra mille centum quinquaginta novem annos usque ad electionem Alexandri III. creati anno 1159. decem & septem mutationes in forma eligendi Pontificem Romanum factas esse.

3. Primus modus eligendi visibile Caput Ecclesiae fuit, ut Pontifex per se

elegerit Successorem suum, pro ut S. Petrum fecisse & Successorem sibi Clementem eligisse habetur *ex cap. si Petrus. 8. q. 1.* Verum id solus sine imitatore fecit Petrus, qui immediate à Christo plenam jurisdictionem, multaque privilegia ex speciali Commissionem, & divina inspiratione acceperat; Ne tamen posteris relinqueretur exemplum, ut quisque Successorem sibi deligeret, quod successu temporis vergere posset in detrimentum Ecclesiae, si nimirum Papatu successione potius, quam electione deferretur, aut quod imparem se iudicaret tanto muneri, Clementem renuntiasset Pontificatui, ac deinde iterum post Linum & Cletum electum esse adnotavit *Glos. V. aut ligandi in cit. c. Si Petrus & V. Succederet in c. Non autem 7. q. 1. Jacobat. de Conc. lib. 10. 22. T. aliisque.*

4. Alter modus eligendi Pontificem post obitum S. Petri fuit, quem refert Barbosa *lib. 1. Jur. Eccl. c. 1. 2. 46.* nimirum quod XXIV. selecti à S. Petro ex omnibus Urbis Romanae Presbyteris & Diaconis, tanquam Coadjutores ac Consiliarii ejus post dispersionem Apostolorum, qui deinde Cardinales dicti sunt, Pontificem Romanum elegerint.

5. Tertius modus fuit, quem introductum

ductum esse tradit Franciscus Carriere in
fidei Catholicæ Digesto de Rom. Pontificis
quest. 6. anno Christi 102. post obitum
Clementis, ut non tantum supradicti 2.
sed alii etiam extra Urbem commoran-
tes Clerici, audita morte Pontificis Ro-
mæ Congregati alium subrogarint, &
electum esse Anacletum refert ibidem
Carriere.

6. Quartus modus fuit, ut Populus
etiam introduceretur ad electionem
non ut votum, sed ut testimonium
lum vitæ morumque eligendi ferret, tu-
ad impediendas seditiones Clericorum
tum ne Populus invitus, & non opti-
tum Præsidentem acciperet. *c. Nullus
vitis dist. 61. c. Si forte, dist. 63.*

7. Quintus modus fuit, ut Populus
in quibusdam locis jus quoque suffragii
in electione Prælatorum usurparet
Sed ob confusionem exinde ortam
jure suffragii sublato remansit illi solum
jus testimonii ferendi.

8. Sextus fuit quod ad sedandos
multos, & schismatis tollendi causa
electione Pontificis interposuerint a
toritatem suam Imperatores, qui
usque processerunt, ut nullus Canonice
electus putaretur, nisi à Rege aut Imp-
ratore confirmatus esset, & priusquam

hanc confirmationem obtinuisset Pontifex, non poterat obire munia Pontificalia, sed cura Romanæ & universalis Ecclesiæ demandabatur interim Archipresbytero, Archidiacono, Primicerio & Pontifici electo, qui in hunc modum subscribebant expeditiones: *Hilarius v.g. Archipresbyter & servans locum Sedis Apostolicæ. Joannes Diaconus, & in nomine DEI electus. Joannes Primicerius, & servans locum sanctæ Sedis Apostolicæ. Martinus servus DEI Consiliarius Sedis Apostolicæ*, pro ut colligitur ex responsione ipsorum ad litteras Episcoporum Scotiæ scriptas ad Severinum Papam defunctum electo in jus locum Joanne IV. sed nondum confirmato circa annum 638. *Carriere l. c.*

9. Tradunt nonnulli hoc jus Principum expressa Pontificum auctoritate roboratum esse. Nam Adrianum I. convocata Synodo Lateranensi jus eligendi Ponticem concessisse Carolo Magno ob pulsos Italia Longobardos. *c. Adrianus dist. 63.*

10. Leonem VIII. Romanum Pontificem, postquam Ludovicus Pius Caroli Filius renunciasset huic juri. *c. Ego Ludovicus dist. 63.* iterum concessisse jus illud

E

eli.

eligendi Romanum Pontificem Ottoni Imperatori. *c. In Synodo ead. dist. 63.*

11. Et Paschalem II. cum ante admitteret justissimis de causis hoc jus eligendi Imperatoribus Gregorius VII. iterato permisit illud Henrico V. Imperatori.

12. Verum per hoc jus Principibus concessum, non est illis data potestas plena & absoluta pro arbitrio suo creando Summum Pontificem, quia ejusmodi utpote Spiritualis & Ecclesiasticæ non sunt capaces. *c. Nullus Laicorum dist. 63.* Sed solummodo honoris & pacis causa delatum est illis, ut consensu suo, approbatione & confirmatione electionem firmarent, ideoque mittere etiam solent Visitatorem, qui electioni ad rixas & altercationes sedandas adesset.

13. Ad hæc plures gravissimique auctores ut Azor *p. 2. l. 4. c. 2. q. 3.* Baroni-
nius ad annos. 526. 555. 774. & 964.
Bellarminus in *Apolog. ad lib. Reg. Ang. c. 6.*
aliique asserunt citatos Canones fictitios
esse & commentitios. Solus namque Sigebertus
in Chronico suo anno 1111. ultra 30. annos post
Adrianum & Carolum M. scripto refert Pontificem
illud dedisse huic Imperatori captâ Papiâ jus
eligendi Papam, idque creditur in gra-

tiam Henrici Imp. Schismatici, cujus partes fovit, ideoque hæc narratio pro figmento habetur, cum nullus antiquioris sæculi auctor, nequidem ii, qui scripserunt res Caroli, hujus potestatis Carolo concessæ meminerint; Quinimo constat Carolum legem sanxisse anno 813. ut electio Episcoporum à Prædecessoribus suis usurpata libera esset, fieretque secundum Canones per electionem Cleri & Populi Diœcesani; Gratianus ergo incautus nullo de impostura factò examine inseruit hoc commentum Decreto suo. *c. Adrianus dist. 63.*

14. Jam vero factum Leonis VIII. nil probat, & constitutio ejus nullius est roboris, quia cum hæc ageret Leo, Pseudopapa erat, & nonnisi post mortem Joannis XII. legitimus fuit Pontifex, ejusque constitutio in Pseudo-Synodo procusa à nullo legitimo Papa promulgata fuit, ex qua Gratianus citatum num. 9. Canonem desumpsit.

15. Demum quam potestatem Henricus V. subreptitiè per insidias & fraudem obtinuit à Paschali II. ipse Paschalis congregata Synodo Lateranensi denuo revocavit. *Azor. l. c.*

16. Septimus modus fuit inductus à Nicolao II. in Concilio Lateranensi, in

quo legem edidit de electione Romani Pontificis à sacro Cardinalium Senatu peragenda, ita ut reliquus Clerus ac Populus, ad eam comprobendam accederet, salvo tamen honore & reverentia Henrici *c. In nomine 1. dist. 23. Barb. Jur. Eccl. l. 1. c. 1. n. 55.* Suffragia vero Cardinalium eligentium numerabantur non per singulorum capita, sed per corpora trium ordinum, Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum *Andr. Gambay. in Bullam Julii II. num. 145.*

17. Octavus demum modus statutus est ab Alexandro III. in Concilio generali, ut ille Canonicè electus censeretur, in quem duæ ex tribus Cardinalium præsentium partes consensissent, excluso Cleri & Populi consensu *c. Licet 6. de elect.* adeoque tota Pontificis electio ad solum Cardinalium Collegium reducta est. Qui modus eligendi postmodum confirmatus fuit & plenius statutus *c. ubi periculum, eod. in 6. & in Clem. Ne Romani. eod. & hodieum observatur.*

18. Ita quidem, ut si Sedes Apostolica vacet tempore, quo Concilium generale legitime congregatum est, nihilominus ad solos Cardinales & non ad Concilium electio novi Pontificis pertineat, prout servatum legitur in electione Leonis

nis

nis X. tempore postremi Concilii Lateranensis, & dum Synodus Tridentina congregata esset in electione Julii III, Marcelli II, Pauli IV, & Pii IV.

19. Contra electum verò à duabus partibus Cardinalium nulla opponi potest exceptio præter hæresim, aliamvè quæ in jure divino consistit. *c. Licet 6. de elect.*

20. Hinc si quis extra Collegium Cardinalium in Pontificem eligeretur, valebit electio *Barbosa l. c.* pro ut ipsa quoque docet experientia; Multi namque sanctissimi Pontifices assumpti sunt ad Sedem Apostolicam, qui Cardinales non fuerunt, ut Gregorius X. ex Archidiacono, Eugenius III. ex Abbate, Cœlestinus V. ex solitudine vocatus & necdum in sacris constitutus, Pontifices facti sunt.

21. Plurima verò ad legitimam Papæ electionem spectantia utiliter statuerunt diversi Pontifices Gregorius X. in Concilio Lugdunensi anno 1274. de quo in *c. ubi periculum, de elect. in 6.* Clemens V. in Concilio Viennensi anno 1310. habetur in *Clem. Ne Romani eod.* Clemens VII. *Constit. cum Charissimus* anno 1529. Paulus IV. *Const. cum secundum* anno 1554. Pius IV. *Const. In eligendis* anno 1562. Gregorius XV. *Const. Æterni* anno 1621. &

demum Urbanus VIII. *Const. ad Romanum*
 22. Quorum aliqua ante ipsam electionem, quædam in ipsa electione, & nonnulla post illam observari solent, & necessario debent. Ex quibus nos quædam notatu magis digna colligemus.

§. 2.

De iis, quæ ante electionem Pontificis observantur.

1. Pontificem esse in agone indicatur Cardinalibus & Legatis.
2. Incarcerati ob delicta graviora ducuntur ad Castellum S. Angeli.
3. Defuncto Papa signum datur in Capitolio,
4. Et Officiales migrant à Palatio, excepto Camerario.
5. Cujus officium non expirat morte Pontificis,
6. Secretarii deferunt ad Camerarium Sigilla, & franguntur.
7. Cum annulo piscatoris.
8. Cadaver defuncti exponitur in templo S. Petri.
9. Cardinales conveniunt in aula Consistorii, ut constituent præcipuos Officiales.
10. Defuncto Papa quomodo incedant Cardinales.
11. Absentes Cardinales monendi sunt de morte Pontificis, non vocandi,

12. Ex.

- 12. Expectandi tamen per decem dies.
- 13. Nisi justæ causæ aliud suaserint.
- 14. Ideoque licet absentes non expectentur, valida erit electio.
- 15. Decendium etiam non est prorogandum.
- 16. Si tamen prorogaretur, valida esset secuta electio.
- 17. Hoc decendio celebrantur exequiæ, & extruitur Conclave.

I.

Pontifice in agone & extremis constituto, Cardinalis Patronus seu Ne-
pos regnans, ut vocant (qui curam
gerit rerum temporalium) mittit Præ-
latos quosdam ad Cardinales & Legatos
in Urbe præsentés, eisque significat Pon-
tificem vitæ metam attigisse.

2. Tunc jussu quoque ejusdem Cardi-
nalis Patroni deducuntur incarcerati ob
causas graviores & criminales in Castel-
lum S. Angeli, ne Senatus aut Populus
Romanus libertatem illis donare possint,
ut solent, januis etiam effractis. Tole-
ratur namque eo casu antiqua consuetu-
do, ut Conservatores populi Romani
ad ostendendam aliquam speciem juris-
dictionis cum omnimodâ tamen depen-
dentia à S. Collegio aperiant carceres &
carceratis libertatem tribuant.

3. Papa

3. Papa defuncto lustrat cadaver Cardinalis Camerarius in præsentia Tribunalis Camerae, & publicum desuper conficitur instrumentum, ac signum datur lugubre campana majore in Capitolio, ut mors cunctis in Urbe innotescat.

4. Etiam Cardinales reliquosque Magistratus, qui in Palatio Pontificio domicilium habebant, abscedunt, excepto Cardinali Camerario, qui de jure remanere debet, & incolit conclavia, in quibus Pontifex morari solet.

5. Ipsius namque uti, & Cancellarii ac Pœnitentiarii majoris officia non vacant per obitum Pontificis.

6. Auditâ morte Pontificis Secretarii Dataria omnesque alii, qui Sigilla habent Pontificia, deferunt illa ad Card. Camerarium, qui ea coram Auditore aliisque Camerae ministris, ac generali Quaestore frangi jubet.

7. Uti & annulum Piscatoris aureum pondo circiter centum nummorum, cujus fragmenta pertinent ad Magistrum Cæremoniarum, qui proinde illa colligit.

8. Eleemosinarii Papæ & Pœnitentiarii S. Petri lavant cadaver defuncti, & disponunt, ut exponatur populo in templo S. Petri. Crux argentea ponitur sub

pra

pra vestes Pontificias ad pectus, & duo pilei Cardinalitii ad pedes, quibus gemina auctoritas Papæ Temporalis & Spiritualis designatur, ut inquit *Carriere de Rom. Pont. qua. 8.*

9. Interim Decani & Capita Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum Cardinalium reliquos inferiores moneri curant, ut conferant se ad Aulam Consistorii ipso die, quo Papa decessit circa vesperam, vel altero subsequenti, ut primariis vacantibus officiis præficiantur Rectores & eligatur Governator Conclavis, & Castelli S. Angeli.

10. Defuncto Pontifice incedunt Cardinales cum Rochetto discooperto, & Mozzetta, eo modo, quo in signum jurisdictionis incedit Papa per universum Orbem, & Episcopus in propria Diocesi, vel Cardinalis in Ecclesia titulari ad ostendendam supremam auctoritatem penes illos esse. Utuntur verò vestibus violaceis cum fimbriis & paramentis rubris, si à defuncto Pontifice creati non sint; Creaturæ verò illius fimbrias quoque habent violaceas.

11. Absentes Cardinales monendi solum sunt de obitu Pontificis per literas particulares à Secretario sacri Collegii subscriptas *Lavor. var. Lucubrat. Tom. I. Tit. 4.*

Tit. 4. c. 7. non verò vocari seu citari debent *Gloss. ver. decem dier. in c. ubi periculum de elect. in 6. Mandos. in Reg. 32. Cancell. quæst. 8. n. 8.* quod speciale est in electione Papæ, cum ad alias electiones absentes vocari debeant *Lavor. l. c. n. 7.*

12. Moniti Cardinales absentes expectandi sunt per decem dies *cit. cap. ubi periculum Const. Pii IV. in eligendis.* Qui dies computandi sunt à die mortis Pontificis *Archid. in cit. cap. ubi periculum n. 5.* expectandi verò sunt, etiamsi sciatur eos venire non posse *Archid. ibid.* quia expectatio requiritur non solum propter absentes, sed etiam propter præparationem eorum, qui sunt includendi *Lavor. l. c.* & propter exequias defuncti, ac electionem Conclavis.

13. Si tamen justæ subsint causæ, non est necesse expectare absentium adventum integro decennio; Quales sunt Gravis Ecclesiæ necessitas ita exigens seditiones repentè exortæ, timor aë inficiendi, aliaque similia, quæ iudicio prudentum relinquuntur, *Bonac. de l. c. Sum Pont. elect. disp. 1. q. 3. n. 1. & seq.*

14. Hinc electio facta communi Cardinalium omnium præsentium vel duarum partium consensu, licet expectati non sint absentes decennio, secundum præ-

babiliorem valida est, cum locus & tempus non pertineant ad substantiam electionis. *Azor. Inst. mor. p. 2. l. 4. c. 2. q. 5.*

15. Sed neque decendium prorogandum est, nisi gravissimâ de causâ *Const. Pii IV. in eligendis §. lapsis* etiamsi aliqui Cardinales abessent publicâ de causâ, & de licentiâ Romani Pontificis *ibid. §. declarandis* ideoque nec oppugnari poterit electio prætextu cujuscunque impedimenti Cardinalium absentium.

16. Si tamen, hoc non obstante, dictum tempus decem dierum prorogaretur, non ideo electio secuta irrita foret, dummodo à duabus partibus facta sit, quia non videtur in *cit. cap. ubi periculum.* præscribi, non posse expectari ultra decem dies, sed solum non teneri Cardinales expectare *Gambar de offic. Leg. à Latere l. 6. n. 108. & 110.* ideoque si major pars expectare vellet ultra decem dies, minor vero intrare conclave neglectis absentibus, audiri quidem hæc posset, sed attentare id pars minor, contradicente majore ad Schismatâ evitanda, non deberet *La- vor. var. lucub. Tom. 1. Tit. 4. c. 7. n. 9.*

17. Durantibus his decem diebus celebrant Cardinales præsentés exequias defun-

defuncti Pontificis & fabricatur co
clave; De hoc ergo §. sequente, de ill
postea.

§. 3.

De structura Conclavis.

1. *Inventor Conclavis.*
2. *Curat id extrui Camerarius in Palatio V
ticano.*
3. *Nunc cellulae clauduntur panno.*
4. *Sunt hae perquam angustae, & Sorte dist
buuntur.*
5. *Conclave undique est conclusum, reli
solum rotis quibusdam, per quas cibus infe
tur.*
6. *Quae à diversis custodiuntur.*
7. *Extra Conclave in diversis locis excuba
Helveti.*

I.

INventio Conclavis, in quo novi Pon
tificis fit electio, adscribitur cuidam
è nobilissima & pervetusta Familia Sabe
lorum, qui nunc Principes sunt Alban
ad accelerandam electionem Pontificis
ne Ecclesia longo tempore viduata Pa
store in schismata, ut aliàs, tam facil
& frequenter discinderetur, variisque
malis & incommodis affligeretur.

præmium hujus inventionis concessum
Excellentissimæ Familiæ, ut Caput il-
lius jure hæreditario sit Mareschallus
Conclavis, de cujus munere infra non-
nulla dicemus. *de Luca Rel. Rom. Cur. disc. 3.*
n. 14. & 15.

2. Spectat verò ad Cardinalem Ca-
merarium defuncto Pontifice curare,
ut extruatur conclave juxta formam à
Collegio Cardinalium præscriptam. Fa-
bricatur id in Palatio Pontificis Vatica-
no nullo olim intermedio pariete, seu
alio velamine *cap. ubi periculum de elect. in 6.*
§. eod. ut puta festoriis vel cortinis Gloss.
ib. ver. velamine, ita ut omnes in com-
muni habitent, & liberè ad se commeare
possint, reservato tamen àditu ad secre-
tam Cameram.

3. Sed Clemens VI. *Const. 5. licet in-*
dulsit postea Cardinalibus, ut liceat illis
ex decentia honestatis, cum in lectis
quiescendi causa, vel dormiendi esse vo-
luerint, habere duntaxat intermedia
velamina simplicium cortinarum, & cel-
lulæ hoc tempore, ut vidimus, panno
viridis coloris clauduntur, vel violacei
pro Cardinalibus à defuncto Papa creatis.

4. Cellæ, quæ per sortem sine discrimi-
ne personarum inter Cardinales di-
stribuuntur, sunt perquam angustæ
36. pal-

36. palmorum latæ, ut, non nisi lectulum, mensulam & unam alteramve eisdem capere possint; singulæ habent exiguam fenestram, quatuor vel quinque palmorum, eamque linteo obductam, ut necesse sit, etiam per diem candellæ aut lampade ad legendum uti.

5. Cæteræ verò fenestræ & Januæ undique muro ex lateribus sunt occlusæ, ut nemo conclave ingredi, nec inclusos videre, aut alloqui, nec quicquam latentem transmitti possit *cit. cap. ubi periculum §. in sacro relicta* solum aliquam fenestrâ *ibid. in conclavi.* nunc pluribus in diversis partibus, per quas cibus pro unoquoque deferatur, ita tamen ut nullus per eas intrare, vel exire possit, ideoque vel in tæ in iis circumaguntur, ut in Claustro Monialium, vel clathris ferreis munitæ sunt.

6. Ad Rotas excubant exterius die & nocte custodes constituti à Mareschallo Principe Sabelli tanquam custode Conclavis, & assistunt Prælati quidam, qui illustrant ea, quæ per Rotas immittuntur. Adest quoque è Cursoribus unus in habitu violaceo cum clava argentea, qui immissis cibus denuo obserat Rotam, aliquis Prælatorum appositâ chartâ eadem Sigillo obsignat; Quod pariter à M

à Magistro Cæremoniarum in interiore parte Conclavis.

7. Ad Scalam Palatii Apostolici versus aream exteriorem, uti & ad primam januam inferioris atrii, atque etiam ad Scalam, per quam descenditur ad Basilicam S. Petri septum ex afferibus exstruitur, quod Helveti Excubitores Summi Pontificis custodiunt.

§. 4.

De Exequiis defuncti Pontificis, iisque quæ ante Clausuram Conclavis fiunt.

1. Exequia celebrantur novem diebus. Qui sumptus in iis fieri possint.
2. Tempore exequiarum exponitur cadaver.
3. Quotidie habetur Congregatio in Sacristia S. Petri.
4. & 5. In qua diversi eliguntur Conclavistæ.
6. Eorum aliqui per secreta suffragia.
7. Et in majori numero quam olim.
8. Nono die dicitur panegyricus defuncti.

I.

PER novem continuos dies celebrantur Exequiæ pro defuncto Pontifice in Basilica Vaticana, quibus interfunt Cardinales Romæ præsentés, qui impediti non

non fuerint. Si forte in illis novem diebus festum aliquod ex præcipuis incidat, ob quod exequias intermittere Cardinalibus videretur; hoc casu in numero quidem novem dierum exequiarum intermissarum dies computantur: verum impensæ, quæ in omissis exequiis faciendæ essent, in pauperes Christi juxta Pii IV. Constitutionem distribuendæ sunt. *Cærimoniale.* Impensæ hæ novem dierum in exequiis faciendæ excedere non debent summam decem millium ducatorum computatis omnibus, præter Regalia populo Romano præstari solita; Et ut impensarum distributio justè fiat, tribus ex antiquioribus Cardinalibus, uni scilicet ex quolibet ordine, ac S. R. E. Camerario committitur.

2. Hoc tempore exequiarum expositum manet corpus defuncti in Sacello Sanctissimi Sacramenti, quod clathris ferreis oclusum est, ut per eos quidem conspici, sed non proprius ad id accedere possit.

3. Ante vel post sacrum funebre, quod cantatur, celebrant quotidie Cardinales Congregationes in Sacristia sancti Petri in quibus eligunt Conclavistas, constituunt ea, quæ necessaria sunt pro bono regimine Urbis, & status Ecclesiastici

& a

& ad alloquium admittunt Legatos Prin-
cipes, Præfectum, Governatorem Ur-
bis, Governatorem Burgi, & Concla-
vis, Conservatores Urbis Romanæ, alios-
que quos omnes genuflexos audiunt, ut
appareat eos Pontificæ dignitatis imagi-
nem repræsentare. *De Luca, Rel. Cur Rom.*
disc. 3. n. 12.

4. Conclavistæ, qui eliguntur, sunt
in primis duo, sive Clerici, sive Laici
pro unoquoque Cardinali, qui ei sint à
servitio; Senibus tamen, & infirmis,
atque etiam iis, qui de Principum ge-
nere sunt, tertius indulgetur, qui fami-
liares, domesticos, & continuos com-
mensales ipsius Cardinalis per annum
fuisse, & tunc esse debere statuit Pius IV.
Const. In eligendis §. qui servientes. nec hos
esse debere mercatores, ministros Prin-
cipum, jurisdictionem aut dominium
habentes temporale, neque Fratres aut
Nepotes Cardinalium, etiamsi propriis
expensis viverent.

5. Deinde pro communi servitio Car-
dinalium constituuntur: Unus sacrista
cum Clero Coadjutore, duo Magistri
Cæremoniarum, qui celebranti assistant,
unus Religiosus pro confessionibus au-
diendis; Unus Collegii Secretarius cum
uno tantum famulo; Duo Medici, unus
F Chi-

Chirurgus, cum uno aut duobus famulis; Unus Faber lignarius, unus Camentarius, duo Barbitonfores, cum uno aut duobus famulis, demum octo aut decem Bajuli, qui publicæ utilitati & commoditati omnium, veluti pro lignis portandis, serviant *Pius IV. cit. Const. eligendis. §. Sacrista.*

6. Hi omnes à Collegio Cardinalium non tamen ex familiâ alicujus Cardinalis, eligi debent per secreta suffragia usque ad Confessarium inclusive, & qui plura tulerint vota, ii inter conclavistas censentur, eisque salaria de publico solventur.

7. Admittuntur verò hoc tempore ut praxis docet majori numero ministrantes, quàm dicta constitutio Pii IV. prescribat, verum id necessitate ita urgente permittitur, postquam auctus est numerus Cardinalium sub Sixto V.

8. Porro nono & ultimo die exequiarum post sacrum funebre habetur oratio in laudem defuncti Pontificis, & exequiæ concluduntur.

§. 5.

De ingressu in Conclave; De Clausura; iisque quæ electioni præmittuntur; de qualitate eligentium & eligendorum.

1. Peractis exequiis, quo ordine ingrediantur Conclave Cardinales.
2. Intran Capellam Sixii IV.
3. Leguntur Bullæ Electionem conserrentes & Cardinales iuramentum deponunt.
4. Sumpto prandio, ad Capellam revertuntur, ubi iuramentum præstant primarii Officiales.
5. Admittunt ad alloquium in cellis suis Legatos & Curiales. Postea dato signo omnes, qui eo non spectant, egrediuntur.
6. Et clauditur Conclave.
7. Constituunturque Custodes ad Rotas.
8. Nec ullus externus sub gravissimis pœnis admittendus est.
9. Præter Cardinales ad Urbem accedentes.
10. Neque ulli licet literas vel Nuncium transmittere, aut recipere.
11. Si tamen literæ non sint traditæ, non incurritur pœna.
12. Electio fieri debet in Conclavi clauso.
13. Et à solis Cardinalibus; Nec ulli præsentés ab ea excluduntur.
14. Licet os illis nondum fuerit clausum vel apertum, nec insignia receperint.
15. Si plures moriantur, ad superstites, licet is unus foret, pertinet electio.
16. Ad quos pertineat electio mortuis omnibus Cardinalibus.
17. Quid actum fuerit, cum tempore Concilii vacavit Sedes.

18. Probabilius eo casu ad solos Cardinales pertinet electio.
 19. Eligi potest omnis mentis compos & fidelis qui non sit notoriè criminofus. Etiam Laicus.
 20. Et Uxoratus.
 21. Ac cæcus.
 22. Fœmina tamen in Papam eligi nequit.
 23. Ideoque fabula est, fœminam fuisse Papam.

I.

Peractis exequiis decimo subinde die cantatur in eadem Basilica S. Petri à Collegii Decano, vel eo impedito, ab alio Cardinali sacrum de Spiritu sancto quo finito habetur ab aliquo ad hoc constituto oratio de eligendo Pontifice; ac deinde præcedente Magistro Cæremoniæ cum cruce Papali ante musice Capellæ Pontificiæ cantantes hymnum *Veni creatur Spiritus &c.* sequuntur ordine bini ac bini Cardinales præeunt Collegii Decano, primùm Episcopi, deinde Presbyteri, postremò Diaconi cum suis cappis violaceis, & conclave ingrediuntur.

2. Quod cum intrant rectà se conferunt ad Capellam Sixti IV. ubi recitatis quibusdam precibus ab Eminentissimo Collegii Decano, quisque Cardinalium suo confidet loco & jussis exire omnia

bus aliis à Magistris Cæremoniarum præter Secretarium sacri Collegii, & eosdem Cæremoniarum Magistros porta dictæ Capellæ occluditur.

3. Quo facto leguntur à dicto Secretario & Magistris Cæremoniarum altâ voce Bullæ Pontificiæ electionem novi Pontificis & Conclave concernentes, & post singularum lectionem jurant Cardinales se observaturos ea, quæ illis continentur.

4. His præstitis, & sermone per Decanum habito, quo eos ad Electionis negotium ritè & rectè peragendum hortatur, recipiunt se Cardinales quisque in cellulam suam, & sumpto prandio ad signum campanæ revertuntur ad Capellam Sixti, ubi tunc in manus Eminentissimi Decani juramentum deponunt: Princeps Savelli Marischallus perpetuus S. R. E. & Conclavis Custos, Governatores Burgi, & Conclavis, aliique Præfecti, qui pro custodia Rotarum electi sunt.

5. Deinde conferunt se iterum Cardinales ad cellas suas, & admittunt ad alloquium Legatos aliosque Curiales usque ad horam tertiam post solis occasum: Tunc unus è Magistris Cæremoniarum signum dat campanula, & omnes,

qui ad Conclave non spectant, egreduntur.

6. Exclufis omnibus externis ostiis, omnesque in Conclave aditus muros clauduntur, quo facto lustrant Eminentissimi Cardinales Decanus & Camerarius adhibitis facibus omnes angulos & latebras, ne quis ultra constitutum, & electum numerum inclusus maneat. Clausura hæc constituta est in Concilio Lugdunensi anno 1275.

7. Sunt præterea alii quidam Prælati & Conservatores Populi custodientes Rotas, per quas victualia, aliaque necessaria immittuntur, qui Custodes quotidie per turnum & ordinem constitui solent, ut invigilent, ne contra Apostolicas Constitutiones quicquam vel per allocutionem, vel literarum transmissionem committatur.

8. Quapropter exinde Cardinales nullo modo externos ad se venientes admittere possunt, nisi eos, qui ex consensu & voluntate præsentium Cardinalium, prohistantum, quæ ad electionis negotium pertinent, vocarentur. *cit. cap. ubi periculum §, Hoc sacro*, Si quis vero clam ipsum Conclave, & aliunde quam per ostium ingrediatur, omni honore, gradu & officio, ac beneficio ipso facto privatus

tus existit, & tradendus est Curiaē saeculari acerrimis poenis puniendus. *Const. Gregorii XV. Æterni.*

9. Admittuntur tamen ad Conclave Cardinales etiam post clausuram ad Urbem accedentes, quamdiu electio adhuc integra fuerit.

10. Nulli etiam externorum licet alicui Cardinalium in Conclave, aut ulli in Conclavi existenti ad eos, qui foris sunt, nuntium vel scripturam, signum notamvè mittere seu recipere, etsi non agat de S. Pontificis electione, sub poena excommunicationis ipso facto incurrendæ, absolvendi facultate, præterquam in mortis articulo, soli Pontifici reservata. *cit. cap. ubi periculum §. Hoc. sacro Pius IV. cit. Const. §. Litteras vero Bonac de elect. Pont. disp. 2. q. 4.*

11. Si vero literæ missæ in Conclave ad Cardinalem non pervenerint, non ligatur mittens excommunicatione. Neque ligantur illâ Cardinales secretè in Conclavi inter se loquentes, aut nuntium, & literas ad se mittentes. *Bonac. l. c.*

12. Occluso Conclavi altero subinde die ad electionem proceditur, quæ ex citatâ Constitutione Gregorii XV. alibi fieri nequit, quam in conclavi clauso, & si alibi

alibi celebratur, electio nulla est & invalida absque ulla declaratione. *Bonac. de Pont. elect. disp. 1. q. 3.*

13. Peragenda vero est à solis Cardinalibus juxta Decretum Nicolai *in c. In nomine Domini 1. dist. 23.* qui omnes in Conclavi existentes ad electionem admittuntur, nulla excommunicationis, vel suspensionis, aut interdicti obstante exceptione *Const. Greg. XV.* ut nimirum vitentur dissensiones & schismata. *Clem. Ne Romani §. Cæterum, de elect. Pius IV. cit. Constit. §. Et ne dissensiones.* Et quamvis idem Pius IV. ibidem, Sixtus V, & Gregorius XV. specialiter statuerint, ne Cardinales non Diaconi in electione Pontificis vocem habeant, illis tamen Constitutionibus derogare solent Summi Pontifices, quando Cardinales creant, & de hoc breve particulare expedire jubent teste *Jul. Lavor. to. 1. tit. 3. c. 6. n. 22.* Existentes autem extra Conclavo, quamvis in Urbe præsentés, & legitimè impediti sint, votum non habent, nec Procuratorem constituere possunt. *De Luc. Rel. Cur. Rom. disc. 3. n. 18.*

14. Ideo Cardinales recenter creati & publicati, licet insignia Cardinalatus nondum acceperint, neque os clausum, vel apertum fuerit, in electione Pontificis

ficis suffragium ferre possunt, ut peculiari Decreto statuit Pius V. die 26. Jan. 1651. apud Jul. Lavor. tom. 1. tit. 4. c. 6. num. 21. & Gregorius XV. Licet antea Eugenius IV. Const. *In eminenti* contrarium decreverit.

15. Quod si plures è vivis decedant, ad solos superstites pertinebit electio, quamvis duo tantum remanserint, quia unus poterit eligere alterum. *Sylvest. V. Excommunicatio 9. n. 2.* Imo etiamsi unus solum supersit ad illum spectabit electio. *Glos. V. omnes in Clem. Ne Romani de elect. jus enim & nomen universitatis in uno servatur. l. sicut ff. in Decurionibus.*

16. Casu vero quo omnes Cardinales vita fungerentur, dixi alibi, electionem spectare ad Concilium, & ita sentit Hostien. in *c. Licet de Elect.* quia Pontifex non solum est Urbis Romæ, sed etiam totius Ecclesiæ Pastor. Non improbabile tamen est electionem eo casu spectare ad Canonicos Lateranenses, quorum Ecclesia est, propria Sedes Pontificis & Mater omnium Ecclesiarum. Ita S. Antoninus *p. 3. summ. tit. 22. §. 2. num. 4.* Jul. Lavor. tom. 1. tit. 4. c. 6. n. 27. Barbofa *Jur. Eccl. l. 1. c. n. 75.*

17. Quæstio vero ad quem pertineat electio Pontificis, ad Cardinales, an ad
Con-

Concilium si Pontifex à Concilio legitime congregato depositus sit, agitatum fuit in Concilio Pisano, in quo cum de sede dejecti fuissent Gregorius XII. & Benedictus XIII. Cardinales auctoritate à Concilio in ipsos translata pro illo vicetantum tam ex parte propria, quam Concilii Alexandrum V. elegerunt. *Abbas in c. Licet num. 8.* Deinde pluribus hæc quæstio discussa fuit in Concilio Constantiensi, & tandem concordiaè causam statuerunt, ut Cardinales tam propria auctoritate, quam Concilii potestate Pontificem eligerent: Ita tamen ut Cardinalibus quælibet Natio sex adjungeretur cum jure suffragii & auctoritate eligendi Romanum Pontificem, & is qui ab utraque duabus partibus Cardinalium, & illorum adjunctorum electus esset, verus & legitimus Pontifex haberetur, ideoque ex quinque Nationibus: Italica, Gallica, Germanica, Hispanica & Anglica ex singulis sex, universim triginta delecti sunt, omnes sacris initiati, & in Concilio clave ingressi, quarta post ingressum die elegerunt in S Pontificem Othonem Columnam, postea Martinum V. appellatum. *Acta Concilii Azor p. 2. l. 4. c. 2. §. 13.*

18. Probabilius tamen videtur, de jure ad solos Cardinales dicto etiam casu electionem Pontificis pertinere, quia Cardinalibus absolute concessit Jus potestatem eligendi Pontificem, ubi vero jus nihil distinguit, nec nos distinguere debemus. Nec potest solum Concilium potestatem hanc Cardinalibus auferre, quia potestas hæc data est Cardinalibus auctoritate Pontificis & approbante generali Concilio ut patet *ex cap. Licet de elect. & cap. ubi periculum de elect. in 6.* Ergo sola Concilii auctoritate potestas hæc auferri illis nequit, si Pontificis non accesserit consensus, nisi justa subsit causa, ut si Cardinales quoque participes essent hæresis seu criminis, vel alia de causa suspecti forent. *Azor l. c.*

19. Quod vero ad personam eligendam attinet, generaliter quilibet mentis compos & fidelis, qui hæresis labe non sit notatus, nec tam notoriè criminosis ut scandalum daret toti mundo, est elegibilis, ideoque etiam si Laicus in Pontificem eligatur, electionem esse validam, ostendit exemplum Cœlestini V. & colligitur ex Cæremoniali Ecclesiæ Romanæ, quod formam habet ordinandi eum, qui ex Laico assumptus fuerit, idem

idem tenet *Glof. V. Non Apostolicus in c. S. quis pecunia dist. 79.* Licet enim Pontificatus Beneficium sit Ecclesiasticum, *c. 1. de maled.* potest tamen conferri Laico, intra congruum tempus promoveatur interim tamen solum habebit, quæ sunt jurisdictionis, non ea quæ sunt Ordinis *Anton. de Rosellis de potest. Imp. & Papa n. 48.*

20. Si uxoratus quoque eligatur in Summum Pontificem, valida erit electio; Si tamen id fieret absque licentia uxoris, potest ab ea revocari, ut et teneatur reddere debitum, cum hoc sit jus justitiæ, quod lædi non potuit per Pontificatum, quantumvis bona fide assumptum, eo quod uxor mortua crederetur. *Abbas in cap. constitutus n. ult. de convers. conjug. & in uxoratus num. 1. eod. Sanchez. de Matr. l. 7. disp. 38. n. 12.* Si vero uxore sciente hoc fiat, videtur illi cogi posse ad conversionem. *arg. c. Quæ uxorem 33. q. 5. Bonac. de elect. Pont. disp. 1. q. 2. n. 4.*

21. Etiam cœcum non esse incapacem promotionis ad Papatum, tradunt *Passerinus tract. de elect. Pontif. q. 30. & Parisius de resign. l. 5. q. 9. n. 45.* Nam licet DD. de capacitate cœci ad publica munera cum distinctione loquantur, in

ut cœcitas superveniens munera, vel officia jam adepta non tollat, impediatur vero ne alia de novo conferantur. At tamen electionem cœci ad Pontificatum validum esse sustinent supra citati Auctores. De Luca Rel. Rom. Cur. disc. 3. num. 22.

22. Fœmina in Papam eligi non potest, adeo quidem ut nec Christus B. Virgini MARIÆ, Matri suæ à se supra omnes mortales dilectæ Pontificatum, vel claves Ecclesiæ commiserit. cap. Nova de Pœnit. & remis. Et Hæresis jam pridem damnata est apud S. Epiphanium hæresi 49. *Posse fœminam ullam esse Sacerdotem, à potiori Pontificem.* Si enim Apostolus docere mulieri non permittat 1. Timoth. 2. v. 12. Quomodo in Ecclesia DEI tolerabitur, ut mulieris oraculo definiatur, quæ fide divina credenda, quæque rejicienda sint; Et cum idem Apostolus 1. Cor. 14. v. 34. dicat. *Mulieres in Ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse, sicut & lex dicit,* certe non est permittendum illis ut doceant ex cathedra, instruunt subditos in fide & moribus, eisque præsent in ritibus & functionibus Ecclesiasticis, quod proprium est Pontificis & Christi in terris Vicarii.

23. Hinc tanquam putida fabula rejicienda est, quam nonnulli præsertim Novatores, ut Magdeburgici Centuriantores *Cent. 9. c. 20. fo. Carion. lib. 3. Franciscus Junius Controv. 3. lib. c. ult. Michael Stifelius* aliique plebi obtrudunt, fuisse Romæ sceminam in Summum Pontificem electam; Totam enim fabulæ hujus molem copiose & valenter dejecerunt Onuphrius in *Platinam*, Bellarminus *l. 3. de Rom. Pontif. c. 24. Baronius tom. 10. Annalium. Florimundus Remundus Georgius Scherer. Nicolaus Serarius* aliique, atque etiam plures hæreticorum Viri doctissimi imposturam hanc confutarunt, ut etiam hæreticos pigeat non tam inveci hujus mendacii, quam quod putide sint convicti, inquit *Possivinus* in apparatu.

§. 6.

De tribus modis eligendi Pontificem, & de ejus Electione.

1. *Certa forma servanda in hac Electione à jure non est tradita.*
2. *Per Constitutiones verò Pontificias triplex est introducta.*
3. *Prima per inspirationem.*
4. *Secunda per Compromissum.*

5. Aliquando etiam per Compromissum mixtum cum Scrutinio.
6. Tertia per Scrutinium & Accessum.
7. Quis illius auctor.
8. Modus, quo fiat Scrutinium. Ubi, & in quo habitu id faciant Cardinales.
9. Decanus primo die celebrat, reliqui praestito juramento communicant.
10. Reliquis diebus celebrat Sacrista.
11. Scrutinii actiones sunt tres.
12. Ante-Scrutinii qui sint actus.
13. & 14. Scedularum magnitudo, & forma.
15. Extractio Scrutatorum, & Deputatorum pro votis infirmorum.
16. Scedularum scriptio.
17. & 18. Scedularum complicatio.
19. Scedularum obsignatio.
20. Qui sint actus Scrutinii.
21. Delatio Scedulae ad altare.
22. Si quis eam deferre ob valetudinem non possit, ultimus Scrutator deferat.
23. Infirmi in cellis suis, quomodo suffragium ferant.
24. Scedularum permixtio.
25. Scedularum numeratio.
26. Publicatio Scrutinii.
27. Scedularum in filum insertio.
28. Post-Scrutinii qui sint actus.
29. In accessu quae sint observanda.

30. 31. 32. 33. *Secutâ electione per scrutinium
& accessum quæ fiant.*
 34. *Numeratio suffragiorum.*
 35. *Recognitio.*
 36. *Combustio schedularum.*

1.

Porro certa forma in electione Romani Pontificis servanda à Jure communi non est tradita, ideoque si quæ statuta in electione non observentur, non propterea irritus censetur actus, dummodo consensus duarum partium adsit, prout recte colligit Innocentius *ex cap. Licet de Elect. cum ait: Non est hic alia forma ex necessitate servanda, immo quocumque modo appareat duas partes consensisse in aliquem tanquam in electum, jus habet, & verus Papa est.* Quod etiam plures alii notarunt apud Barb. *Jur. Eccles. l. 1. c. 1. n. 84.*

2. At vero per Constitutiones Pontificum maxime Gregorii XV. *Æterni Patris* & Urbani VIII. *Ad Romani* & consensus Cardinalium eligentium, tribus modis fieri potest electio, nimirum: per inspirationem, per compromissum, per scrutinium & accessum.

3. Primum modum explicat Cærimoniale ex mandato Gregorii XV. compo-
situr

litum ab eoque confirmatum his verbis:
Primus modus est, qui quasi per inspi-
rationem vocatur, quando scilicet omnes
Cardinales quasi afflati Spiritu sancto
aliquem unanimiter, & viva voce
Summum Pontificem proclamant; cir-
ca quem modum ex Constitutione Gre-
goriana infra scripta notari possunt.
Primo, hac forma electionis practicari
potest solum in Conclavi, eo clauso.
Secundò, debet fieri electio secundum
hanc formam ab omnibus & singulis
Cardinalibus in Conclavi presentibus.
Tertiò communiter & nemine eorum
dissentiente. Quartò, nullo precedente
de persona speciali tractatu, & per
verbum Eligo, intelligibili voce prola-
tum, aut scripto expressum, si voce non
possit proferri. Exemplum autem hujus
potest esse hujusmodi: Si aliquis Pa-
trum clauso Conclavi, nullo, ut præfer-
tur, precedente speciali tractatu diceret:
R. D. perspecta singulari virtute & pro-
bitate R. D. N. judicarem illum eligen-
dum esse in Summum Pont. & ex nunc
ego ipsum eligo Papam. Deinde hoc
audito, si ceteri Patres, nemine ex-
cepto,

G

cepto,

cepto, sequentes primi sententiam, eodem verbo, Eligo, intelligibili voce prolato, aut si non potest in scriptis expresso eundem N. de quo nullus specialis tractatus precessit, communiter elegerent, ipse N. esset Canonice electus & verus Papa secundum hanc electionis formam, quæ dicitur per inspirationem, seu, ut in sacris Canonibus scriptum est, quasi per inspirationem.

4. Secundum modum idem Cærensiense capitulum exponit verbis sequentibus: Secundus modus est, Compromissum, quando scilicet Cardinales ad electionem per hanc formam, seu quia procedere non valentes, committerent aliquibus ex Patribus eligendi potestatem, ut in nomine omnium Ecclesie Catholice providerent de Pastore, cujus formæ praxis potest esse hujusmodi: Primò omnes & singuli Cardinales in Conclavi clauso presententes, nemine eorum dissentiente, aliquo ex Patribus compromissum faciunt, exempli gratia, in hanc formam. In nomine Domini, Amen. Anno eiusdem, &c. mense &c. die &c. Nos Episcopi, Presbyteri, & Diaconi S. R. C.

Cardinales omnes & singuli in Conclavi existentes, videlicet N. N. (*& sigillatim omnes nominentur Cardinales*) elegimus & eligimus per viam procedere compromissi, & unanimiter, & concorditer nemine discrepante Compromissarios N. N. & Cardinales &c. quibus damus plenariam facultatem & potestatem providendi S. R. E. de Pastore, & sub hac forma, videlicet, (*hic optimum erit, ut Cardinales Compromittentes exprimant modum & formam, secundum quam Compromissarii debebunt eligere, & secundum quam electus debet censeris verus & legitimus Papa, neputa, si electi sint tres Compromissarii, declarandum est, an ad hoc, ut electio sit valida, prius proponere debeant sacro Collegio personam, vel personas ab ipsis nominandam, seu nominandas ad Pontificatum, an vero absolute debeant electionem peragere, an omnes tres debeant convenire in unam personam, an vero sufficiat quod duo in unam concordent, & an debeant nominare aliquem de Collegio, vel etiam aliquem extra Collegium, & alia his similia*)

G 2

Qui

Quibus addi solet tempus quamdiu velint Cardinales potestatem habere eligendi Compromissarios, & postea subiunguntur hæc verba: *Et promittimus nos illum pro Romano Pontif. habituros, quem Domini Compromissarii secundum formam prædictam dixerint eligendum.*

5. Potest etiam Electio compromissoria fieri limitate, hoc est per compromissum cum scrutinio mixtum, nimirum si ita Compromissum fiat, ut Compromissarii ipsi exquirant vota singulorum, illumque eligant, in quem maior & sanior pars consenserit secundum Constitutionem Innocentii III, de qua in cap. *Cum dilectus de elect.* quæ revocata non fuit per Alexandrum III, in Concilio Generali anno 1215, ut declarat Bonifac. VIII. in c. *Cum expediat 29. de Elect.* c. 6. & in c. *Si cui 37. eod.* Per tale Compromissum electos esse Clementem IV. an. 1265. Gregorium X. an. 1271. & Joannem XXII. an. 1316, tradit Barb. *jur. Eccl. lib. 1. c. 1. n. 96.* & hunc Joannem XXII. compromisso in ejus personam facto, ferunt se ipsum elegisse, eamque ob causam compromissum deinceps in desuetudinem abiisse,

6. Tertius modus est scrutinium & accessus. Scrutinium est inquisitio votorum eligentium, seu suffragiorum collectio. *Boët. Epo. l. 1. de Regal. n. 210.* ad hoc plura requiruntur juxta *cap. Quis propter de Elect.* 1. Ut Scrutatores sint tres. 2. Ut sint de Collegio. 3. Ut sigillatim & separatò vota exquirant. 4. Ut vota publicentur. 5. Ut omnes eligentes congregentur in unum; In Camera enim dari non potest votum, nisi ab ægoris *e. In Genesi, de Elect.* 6. Ut tres Scrutatores eligantur qui vota singulorum secretè & sigillatim exquirant, & in scriptis redacta mox publicent. 7. Ut is valide censeatur electus, in quem vel omnes, vel duæ ex tribus partibus consenserint, in quibus tamen electi suffragium non numeretur.

7. Scrutini & Accessus Author fuit Alexander III. in Concilio Lateranensi anno 1179. Scrutinium autem fieri solet bis de die, semel ante prandium post Missam, & semel vespere dicto Hymno: *Veni Creator Spiritus.*

8. Modus eligendi Papam per Scrutinium, qui nunc ordinariè observari solet, est ejusmodi: Primo die postquam obseratum est pridie Conclave mane

dato signo campanula Cardinales omnes qui sunt in Conclavi, nisi infirmitate impediuntur, induti longis vestibus, seu palliis crocei coloris, anteriore parte apertis & circa collum crispatis, quae *croceas* appellant, in capella Paulina, ubi Eucharistia asservatur, conveniunt.

9. Congregatis omnibus Decano Collegii Missam celebrat de Spiritu sancto, in qua ordine inter se servato bini & bini cum stolis albi coloris pendentibus ante pectus, si sint Sacerdotes, si vero Diaconi fuerint, defluentibus ab humero dextero versus latus sinistrum accedunt ad altare, & praestito juramento de servandis Bullis juxta formam Concilii Basiliensis *Sess. 23.* Sanctissimum Eucharistiae Sacramentum de manu Decani sumunt; Ac deinde lectis Bullis Pii IV. *In eligendis*, & duabus Julii II. considerant in subselliis suis juxta ordinem consuetum.

10. Reliquis vero subsequenter diebus usque dum novus Papa sit electus, celebrat sacrum *pro electione Romani Pontificis* mane ante Scrutinium Sacrista, cui serviunt duo Magistri Cæremoniarum, quorum unus debito tempore defert instrumentum pro osculo Pacis

ad Capita Ordinum Collegii præsentis.

11. Confidentibus suis locis ordine Cardinalibus proceditur ad Scrutinium, vel ad Scrutinium & Accessum per suffragia secreta. Continet vero tres actiones unam quæ *Ante-Scrutinium*, altera quæ *Scrutinium*, & tertia, quæ *Post-Scrutinium* appellari potest.

12. Ante-Scrutini actus sunt: Præparatio Scedularum Scrutini, & Accessus; Extractio Scrutatorum pro votis infirmorum per sortem; Scriptio Scedularum Scrutini; Earum complicatio, & obsignatio.

13. Scedularum præparatio ad Magistram Cæremoniarum pertinet, qui eas impressas, vel certe unius manu scriptas tam pro Scrutinio, quam pro Accessu ponent in duobus discis, quos in mensa ante Altare collocabunt.

14. Scedularum longitudo erit unius fere palmi, latitudo vero dimidii palmi. In anteriori earum parte seu facie tria contineri debent. 1. in superiori parte secundum ejus latitudinem, duo hæc verba: *Ego Card.* cum tanta ab invicem distantia, ut inter ipsa, nomen proprium Cardinalis eligentis scribi possit, & paulo inferius duo circuli parvi ad loca Sigil-

gil.

gillorum indicanda. 4. In medio contineri debent hæc verba: *Eligo in Summum Pontificem Reverendis. D. meum D. Cardin.* 3. In parte inferiori alii duo parvi circuli ad loca sigillorum similiter demonstranda. Forma schedulæ Accessus eadem est, quæ Scrutiniis, nisi quod loca verborum: *Eligo in Summum Pontificem Reverend. D. meum Card.* ponantur hæc verba: *Accedo Reverendiss. D. meo Cardinali.* Quæ facilius ex infra scriptis figuris percipientur,



Exemplum

Exemplum faciei Schedulæ Scrutinii.

	Ego	Card.
O		O
Eligo in Summum Pontificem Rev. D. meum D. Cardin.		
O		O

cont.
Sum-
meum
i duo
hiliter
cessus
loco
ntifi-
antur
p. me
cripti


Exem

Exemplum faciei Schedulæ Accessus.

Ego	Card.	
O		O
<p>Accedo Reveren. D. meo Ego Card. D.</p>		
O		O

In exteriori parte Scedularum tam Scrutinii quam Accessus imprimendi sunt duo limbi, quos Itali *Fregi* nominant, quorum uni inscribitur verbum, *Nomen*, alteri verbum *Signa*, quod fit ad obscurandum diaphanum paginarum, ne scilicet lumen, nomina & signa eligentium conspici possint; Clariora hæc reddit supposita figura.

Exemplum tergi Scedularum Scrutinii & Accessus.



15. Secundus actus Ante-Scrutinii est extractio Scrutatorum, & Deputatorum pro votis infirmorum, quæ extractio forte facienda est, hoc modo: In sacculo aut vase publicè ponantur tot Schedulæ, vel spherulæ lignæ palam numeratæ, quot sunt Cardinales in Conclavi cum eorum nominibus: Deinde per ultimum Diaconum extrahantur, primo Scrutatores tres, & postea tres Deputati pro votis infirmorum, qui infirmari appellari solent; Quod si in extractione Scrutatorum, infirmariorum, ac etiam Recognitorum, de quibus infra extracti fuerint Cardinales, qui ob infirmitatem, aliudve impedimentum muneribus illis satisfacere non possint, alii non impediti loco illorum extrahantur.

16. Tertius actus Ante-Scrutinii est Scedularum scriptio, quæ fit hoc modo. Ad duas vel plures parvas mensas, quæ erunt cum atramento & calamis paratas in loco Capellæ apto, ut videri ab aliis non possit quid scribatur, accedent Cardinales per ordinem, incipiendo à Decano, ibique sedentes in scabellis paratis schedulam quisque suam acceptam prius ex disco, scribat hoc modo: Primo in pri-

ma

ma parte in spatio inter verba : *Ego Card.* scribet proprium nomen illius, quem eligit, caractere tamen, quantum fieri potest, alterato, ne manus scribentis dignoscatur; Caveat vero, ne plures in eadem Scheda scribat, quia suffragium, juxta Constitutionem Gregorianam, esset nullum. In tertia vero parte signa, hoc est numerum aliquem, & sententiam S. Scripturæ seu verbum, vel quid simile, prout in subjecto exemplo videre licet.

Exemplum Schedulæ Scrutini scriptæ.

	Ego Joannes Card. de Goessen.	
O		O
	Eligo in Summum Pon- tificem Rever. D. meum Card. Anton. Pignatelli.	
O		O
	12. In nomine Patris, & Filii & Spiritus Sancti.	

17. Quartus Actus Ante-Scrutini, est Scedularum complicatio, quæ, ut expeditius peragi à Cardd. valeat, poterit à Magistris Cæremoniarum, cum ea præparant, in huc modum fieri: Binae fiant plicaturæ ex utraque parte cujusque Scedulæ, ita ut nomen eligentis & signa cum fuerint scripta, maneat tecta ex utraque parte à limbis; Deinde quod reliquum est, ita complicetur, ut Scedula fere ad latitudinem pollicis redigatur.

18. Cæterum Magistri Cæremoniarum Scedulas non complicatas, sed explicatas, & cum cera rubra in parvis circulis ponent in discis, & Cardinales postquam iis scribenda inscripserint, eas usque solum plicabunt, quo nomen & signa eligentis tegantur, reliquas autem plicaturas tunc facient, cum Scedulas obsignaverint.

19. Postremus actus Ante-Scrutini est Scedularum obsignatio, quæ facienda est ab unoquoque in tergo Scedularum cum sigillo ad hoc parato in locis parvorum circulorum, ubi cera fuerit posita. Sigillum vero non debet esse solum Cardinalis, sed aliud simplex quod facile notari possit, veluti, si in sigillo sculpantur aut tres numeri, aut tres

literæ, vel literæ & numeri, vel unâ tantum imago:

20. Secunda actio est Scrutinium, in qua octo agentur: Delatio schedulæ præstatio Juramenti, positio schedulæ in Calicem, Scedularum mixtio, earum numeratio, Scrutinii publicatio, Scedularum in filum insertio, Earumque depositio seorsum.

21. Delatio Scedulæ fit modo sequenti: Quilibet Cardinalis propriam schedulam, postquam illam scripserit, obfigna verit, & complicaverit, duobus primis digitis sumet, & elevata manu palam, deferet ad Altare, penes quod stant Scrutatores, in quo est calix magnus ad recipiendas Scedulas paratus, & patena coopertus, ibique genuflexus, aliquantulum orabit, deinde surgens, alta & intelligibili voce, jurabit in hanc formam, quæ in tabella super Altari posita descripta habetur: *Testor Christum Dominum, qui me judicaturus est, me eligere, quem secundum DEUM judico eligi debere, & quod idem in accessu præstabo.* Post hæc Scedulam in patenam ponet, & per patenam mittet in Calicem, quo facto, inclinabit se ad Altare, & ad suum locum revertetur.

22. Si ob infirmam valetudinem Cardinalis accedere ad Altare non possit, & præsens sit in Capella, ultimus Scrutator discum cum Schedulis ad eum deferret, ex quo Cardinalis infirmus, unam accipiens, eam in loco suo secretè conficiet, deinde prævio juramento prædicto, schedulam obsignatam, & complicatam eidem Scrutatori tradet, quam eam palam deferret ad Altare, & sine oratione, & juramento in patenam ponet, & per eam in calicem mittet.

23. Si vero aliqui Cardinales infirmi sint in suis cellis, tres Cardd. Infirmarii ad eos accedent cum capsula altitudinis unius palmi, in cujus Superiori parte sit rima seu foramen, ejus magnitudinis, ut per illud schedula complicata possit per suam latitudinem in capsulam transmitti; Quam capsulam, antequam Scrutatores Infirmariis tradant, palam aperient, ut cæteri Cardinales possint eam inanem, & vacuam conspicere deinde claudent, & clavem ponent super Altare; Postea Infirmarii cum capsula clausa, & cum parvo disco tot schedulas continente, quot sunt Infirmi Cardinales, ad unumquemque eorum accedent, & infirmi acceptas ex disco schedulas secretè scribent, obsignabunt, &

com

complicabunt, & prævio dicto juramento, in capsulam per rimam mittent. Quod si infirmi scribere non possint, alii eorum arbitrio deligendi, præstito de secreto servando in manibus Infirmariorum juramento, prædicta facient; Hi vero non solum juramenti vinculo tenentur servare secretum, sed etiam in excommunicationem latæ sententiæ, si contrafecerint, incurrunt. His peractis, Infirmarii ad Capellam revertentur cum capsula, quam Scrutatores aperient, & schedulas in ea contentas, palam numerabunt, & tot repertas, quot sunt infirmi, ponent sigillatim in patenam, & per patenam simul omnes in calicem. Ne autem nimium protrahatur actio Scrutinii, Infirmarii poterunt proprias schedulas post Decanum conficere, & in Calicem ponere, deinde dum cæteri Cardd. Scrutinium agunt, infirmos adire ad accipienda eorum suffragia.

24. Scedularum permixtio fit per primum Scrutatorem, Calice, in quo ipsæ schedulæ positæ fuerunt, patena cooperto, pluries agitato. Deinde fit palam numeratio scedularum per ultimum Scrutatorem, capiendo sigillatim unamquamque scedulam.

H

25. Nu-

25. Numeratio schedularum fit palam per ultimum Scrutatorem, capiēdo sigillatim unamquamque schedulam ex calice, eamque ponendo in alium calicem vacuum ad hoc paratum. Quod si numerus schedularum non respondeat numero Cardinalium, omnes comburendæ sunt, & procedendum est ad nova suffragia; Si vero numerus schedularum respondeat numero Cardinalium, publicantur suffragia.

26. Fit vero publicatio Scrutinii per Scrutatores, qui sedent ad mensam ante Altare positam hoc modo: Primus Scrutator accipit unam post alteram schedulam, eamque intactis sigillis explicat, & viso electi nomine, schedulam tradit secundo Scrutatori, qui perspecto riter electi nomine, eandem tradit tertio, qui alta & intelligibili voce legit nomen electi, ut omnes Cardinales presentes notare possint suffragium in folio impresso, quod penes se habebunt cum nominibus omnium Cardinalium, juxta nomen Cardinalis ex schedula recitatum. Quod si in Scrutinii publicatione, invenerint Scrutatores duas schedulas ita complicatas, ut ab uno tantum datas fuisse appareat, si quidem unus & idem in utraque electus fuerit, schedulæ valebunt

lebunt, & notabuntur pro uno suffragio, si vero diversi fuerint nominati, neutrum suffragium validum erit, prout in Bulla Gregoriana statuitur de illa schedula, in qua plures nominati sunt; Scrutinium tamen neutro casu vitiatur.

27. Postquam ultimus Scrutator unamquamque schedulam perlegit, inserit eam in filum, quod cum acu paratum habet, in loco ubi est verbum: *Eligo*, quod ideo fit, ut schedulæ cautius conservari possint. Insertis in filum omnibus schedulis, capita fili nodo connectit idem ultimus Scrutator, & schedulas sic colligatas, in alium calicem vacuum, vel in mensa seorsum ponit.

28. Tertiæ actionis, quæ *Post-Scrutinium* appellata fuit, tres sunt actus, si secuta fuerit electio per scrutinium, videlicet: Numeratio schedularum, Recognitio suffragiorum, & schedularum combustio. Si vero per Scrutinium non sit secuta electio, actus sunt septem, videlicet: Accessus, Sigillorum & signorum apertio, eorum annotatio, suffragiorum examen, suffragiorum Scrutini, vel Scrutini & accessus numeratio, eorum recognitio, & schedularum combustio.

H 2

29. In

29. In Accessu, qui immediate fit post Scrutinium, si per illud non fuerit creatus Papa, omnia servanda sunt à Cardinalibus, quæ in Scrutinio observari debent, exceptis his infra scriptis: Primum quod Cardinales schedulas pro accessu sumere debent ex disco schedularum accessus. Secundò in schedularum accessu descriptione, si Cardinalis nemini velit accedere, scribit in media Scheda *Nemini*, loco nominis Cardinalis, qui scribendus esset, si ad eum fieret accessus. Scheda autem accessus scribi & obfigrari debet cum eisdem sigillis & signis schedulæ Scrutinii, sub pœnâ nullitatis suffragii ipsius accessus. Tertiò, quod non potest accessus fieri ad eum Cardinalem in Scrutinio saltem unum suffragium non obtinuerit, neque ad eum, qui ab ipso met Cardinali fuit in Scrutinio nominatus. Quartò quamvis in accessu non liceat plures nominare, sicut non licet in Scrutinio plures eligere, sub pœnâ nullitatis suffragii, tam in accessu, quam in Scrutinio; Nihilominus licebit accedere uni ex pluribus nulliter à se nominatis in Scrutinio, dummodo ei ab aliquo aliquod suffragium, non tamen nulliter in ipso Scrutinio datum fuerit. Quintò, quod in accessu non præstatur jus

mentum, quia in Scrutinio fuit jam præstitum. Sexto, denique Infirmarii deferre debent ad infirmos schedulas accessus, & simul etiam unum folium impressum, in quo sit notatus suffragiorum numerus palam recognitus, quæ quisque Card. in Scrutinio nominatus, obtinuerit.

30. Porrò Sigillorum, & Signorum apertio, eorum annotatio, suffragiorum examen, qui Post Scrutinii actus locum solum habent, quando secuta est electio per Scrutinium & accessum, fieri debent hoc modo.

31. Primus Scrutator schedulas accessuum in ea parte solum, quæ signa continet, aperiet, & inspectis earum sigillis & signis, apertas, ac in filo, ut erant, insertas, tradet secundo Scrutatori, & secundus facta inspectione porriget tertio, qui alta & intelligibili voce, sigilla & signa prædictarum schedularum enunciabit, & annotabit in latere sinistro folii impressi sub verbis: *Sigilla & Signa Accessuum*, quam etiam annotationem facient cæteri Card. si voluerint, in simili folio impresso.

32. Deinde primus Scrutator, reliquis Scrutatoribus inspicientibus, pro accessuum prædictorum examine capiet schedulas Scrutinii, in iisque quæret si-

gilla singularum schedularum accessurum
 eoque aliquo invento, aperiet Scrutinii
 schedulam in ea parte, ubi signa sunt
 & si non invenerit, signa hujus sche-
 dulæ concordare cum signis accessuræ
 schedulam illam relinquet, & aliam
 capiet, si vero invenerit signa con-
 cordare, ostendet illa secundo & tertio
 Scrutatoribus, qui post diligens ex-
 amen super identitate sigillorum & signo-
 rum utriusque schedulæ, Scrutinii scilicet
 & accessus, simul inspicient, an idem
 diversi in utraque schedula sint nomi-
 ti; Et si idem nominatus sit, suffragium
 accessus nullum censebitur; Si vero
 versi nominati sint, suffragium accessus
 pro valido habebitur, & hoc casu, ter-
 tius Scrutator sigillum & signa schedu-
 læ Scrutinii, ac etiam nomen electi, quod
 in ea continetur, alta & intelligibili vo-
 ce enunciabit, & annotabit in laterali
 dextero prædicti folii impressi, sub verbis
Signa Scrutinii respondentia accessibus
 Quam annotationem cæteri quoque Car-
 dinales, si voluerint, in simili folio im-
 presso facient. Sed res elucidabitur
 exemplo infra posito.

Ex

Exemplum.

Folii impressi, in quo Accessus, & Scrutinii Sigilla ac Signa concordantia annotantur.

<i>Sigilla, & Signa Accessuum</i>	<i>Sigilla, & Signa Scrutinii, Accessibus respon-</i> <i>dentia.</i>	<i>Cardinales nominati in</i> <i>Scrutino.</i>
A CD. 43. DEUS	B R F. 32. Bonitas	Card. S. Euseb.
BR F. 32. Bonitas.	R G I. 50. Beati-	Card. S. Sixti.
R G I. 50. Beati-		
do.		
NS P. 26. Gloria.	tudo.	

33. Quod si fortasse in ista inquisitione contingat, duas vel plures schedulas Scrutinii, reperiri cum eisdem sigillis, & signis alicujus schedulæ accessus, tunc si in earum aliqua electus nominatus fuerit, in alia vero alius, primus Scrutator, reliquis Scrutatoribus similiter inspicientibus, Scrutinii schedulas hujusmodi, & schedulam accessus, in ea etiam parte, in qua est nomen eligentis, & accedentis aperiet, ut constare possit secundum Gregorianam Constitutionem, de validitate accessus; Si vero in aliqua hujusmodi schedularum Scrutinii concordantiam cum accessu, non sit nominatus electus debent eæ schedulæ omitti, & ad subsequens procedendum erit.

34. Quin-

34. Quintus actus Post-Scrutiniū est numeratio suffragiorum vel Scrutiniū solius, vel Scrutiniū & accessus, quæ fit semper per Scrutatores, ut sciatur an in eo Scrutinio & accessu habeatur Papa nec ne. Fit autem hæc numeratio hoc modo: Scrutatores in unam summam redigent suffragia, quæ quilibet nominatus in Pontificem obtinuit, sive in Scrutinio solo, sive in Scrutinio, & accessu simul, & si invenerint, nullum ex nominatis ad duas tertias partes suffragiorum pervenisse, non habetur Papa in illo Scrutinio, sive Scrutinio & accessu. Si vero invenerint aliquem ex nominatis, duas tantum partes suffragiorum obtinuisse, aperient electi schedulam, etiam in parte, in qua est nomen eligentis, & si quidem in ea suffragatus fuerit alter electio ejus erit Canonica; Si vero sibi suffragium dederit, ejus electio ex dispositione Gregorianæ Constitutionis nulla erit, ob defectum unius suffragii. Si denique plures duas tertias partes, vel ultra duas tertias obtinuerint, tunc in suffragiorum paritate, nullus erit electus, in imparitate vero, ille est Canonicus Papa, qui superat alium, etiam in uno suffragio.

35. Sextus actus Post-Scrutini, est Recognitionis, quæ per Recognitores, siue secuta sit electio, siue non, fiet, inspiciendo tam schedulas scrutini & accessus, quam suffragiorum annotationes factas per Scrutatores, ut per hujusmodi recognitionem constare possit, an Scrutatores fideliter muneri suo satisfecerint. Recognitores autem extrahentur sorte, uti Scrutatores & Infirmarii, statim quidem post Scrutinium, si secuta sit in eo electio; Si vero non sit secuta, post Scrutinium & accessum, cum scilicet Scrutatores suum impleverint munus per numerationem; Et hæc extractio fiet, siue secuta sit electio in Scrutinio & accessu, siue non.

36. Postremus actus Post-Scrutini est combustio omnium schedularum, quæ semper & palam per Scrutatores fiet, ac statim post recognitionem, siue electio sit secuta, siue non. Atque hæc servanda sunt in omnibus Scrutiniis, siue fiant mane post Missam, siue Vespere post Hymnum: *Veni Creator Spiritus*; Suntque Ritus desumpti ex novo Cæremoniæ Romano & ex præscripto Constitutionis Greg. XV. in electione Rom. Pontificis observandi; Utrumque & Cæremo-

mo-

moniale & Constitutionem Gregorii confirmavit deinde Urbanus VIII, *Const. 4^a Ad Romani.*

§. 7.

Quæ fiant post Electionem Pontificis.

1. *Post electionem petitur consensus electi.*
2. *Priusquam is detur nomine Electi & Cardinalium omnia administrantur.*
3. *Non est necessaria Confirmatio.*
4. *Electus imponit sibi nomen.*
5. *Vestitur habitu Pontificali.*
6. *Et præstatur consueta Obedientia.*
7. *Annunciatur electio populo.*
8. *Præsentantur Cardinales.*
9. *Fit secunda Salutatio in Conclavi, & tertia in templo S. Petri.*
10. *Pontifex benedicit Populo & Collegio Cardinalium.*
11. *Post aliquot dies fit coronatio.*
12. *Et si electus non fuerit Episcopus, consecratur.*

I.

Postquam peracta est ritu suprädicto Summi Pontificis electio, accedunt ad electum Decanus Collegii & duo capitula Ordinum, vel iis per morbum impeditis

peditis alii tres in Ordine antiquiores, rogantque nomine Sacri Collegii ut Pontificatum acceptare velit; Consensus enim electi accedere debet. *Bonar. de elect. Pont. q. 2. n. 9.* & si absens sit, pro eo impetrando mittendi sunt à Collegio Cardinalium deputati; Interim priusquam absens consensum præstiterit, neququam consenda est Sedes Apostolica simpliciter vacare, nec liberum erit Cardinalibus, facta unius electione ab ea recedere, antequam constet electum acceptare nolle Pontificatum.

2. Necessaria vero ad rectam gubernationem expedienda sunt à Cardinalibus suo & nominati Pontificis nomine, donec de ipsius consensu constiterit, prout in electione Adriani VI. factum fuisse refert ex Bonacina Barbosa *l. 1. Jur. Eccles. c. 1. n. 112.*

3. Electo vero Pontifici non est necessaria confirmatio. *Lavor. tit. 4. c. 12. n. 19.* quia hæc fieri debet per superiorem qualem Papa nullum in terris habet. *Parsius de resign. benef. l. 7. q. 5. n. 1. & 2.* Ideoque statim ac electus est Papa plenam habet ac liberam administrationem. *Glos. v. & dispensandi in eap. 1. dist. 23.* & dum eligitur, confirmatus esse censetur. *Glos. fir. in c. Licet de vitandæ, de elect.*

4 Post-

4. Postquam electioni consensus præstitit Pontifex, rogatus à Magistro Cæremoniarum, quo nomine appellari placeat, aliud sibi nomen adseiscit, ad instar Principis Apostolorum Petri, qui antea Simon dicebatur. *Bœt. Epo. l. 1. de regal. n. 211.*

5. Deinde deducitur electus à duobus Card. Diaconis post altare ejusdem Capellæ, ubi adjuvantibus Sacrista & Magistris Cæremoniarum exiit vestibus Cardinalitiis, induiturque habitu Pontificali, nimirum: Calceis cum cruce aurea, veste talari, subtana dicta ex serico ormesino, rochetto, mozzetta & bireto ex serico rubro.

6. Postea deductus ante Altare sedens in Cathedrâ suscipit salutationem, vulgo adorationem osculo manuum, pedum & oris.

7. Quo factò Diaconus primus præcedente Magistro Cæremoniarum cum Cruce & Musicis Capellæ cantantibus: *Ecce Sacerdos Magnus* vadit ad pergulam Basilicæ Vaticanæ, ex qua perfractò muro denuntiat populo expectanti in area electionem novi Pontificis altâ voce dicendo: *Annuncio vobis gaudium magnum: Habemus Pa-*

pams

pam Eminentissimum & Reverendissimum D. Antonium Pignatelli qui sibi nomen imposuit Innocentium undecimum. Quod nuncium excipiunt statim faustæ populi acclamationes, bombardarum in arca explosiones, majorum machinarum in arce S. Angeli fragores, & solennis Campanarum per Urbem compulsatio, mittunturque ad Palatium electi Pontificis aliquot cohortes militum, qui id ab irruptione populi defendant.

8. Interim Pontifex & Cardinales in Conclavi se prandio reficiunt, si electio facta fuerit mane, & Conclave aperitur.

9. Paulo post revertuntur Cardinales ad Capellam, & secundam faciunt salutationem, seu adorationem Papæ habitu pontificali induto. Qua finita statim, si fuerit circa meridiem si vero circa Vesperum, altero mane, præcedente Magistro Cæremoniarum cum Cruce & Musicis Capellæ, portatur in sede Pontificali ad S. Petrum, poniturque supra Altare majus, ubi tertia vice salutatur osculo pedis, manus & oris modo supradiçto à Cardinalibus. Interim cantatur à Musicis Hymnus Ambrosia-

brofia-

brofianus ; Peracta adoratione & finito Hymno cantat S. Collegii Decanus versiculos quosdam & orationem,

10. Deinde descendit Pontifex ex Altari & deposita per Diaconum assistentem mitrâ versus ad Populum, dat Benedictionem, atque impositâ iterum per alterum Diaconum assistentem mitrâ descendit ex gradibus Altaris, & data hinc inde Cardinalibus, benedictione deportatur ad Palatium Vaticanum.

11. Post aliquot deinde dies coronatur Pontifex in Basilica S. Petri ab antiquiore Diacono Cardinali ; Ac subinde constituto die possessionem capit Episcopatus in Ecclesia S. Joannis Lateranensis.

12. Quod si Pontifex electus Episcopus non fuerit, consecrari debet à Cardinali Episcopo Ostiensi qui tunc Metropolitanus vice fungitur, *c. 1. dist. 23.* assistentibus ei Portuensi & Albanensi Cardinalibus, Episcopis. Sed hoc tempore teste Barbofa *lib. 1. cap. 2. num. 116. Jur. Eccles.* Decanus Collegii Cardinalium id est, primus inter Episcopos, quamvis non sit Ostiensis, hoc munus cum aliis duobus Senioribus Episcopis obire solet.